

et comitatum aliquam guerram facere vel inferre. Et quod ad predicta vel aliquod predictorum faciendum directe vel indirecte non teneantur vel tenere intelligantur vel cogi seu compelli modo quolibet possint milites supradicti per aliquem capitaneum dicte talie seu lige seu per dicta comunia seu per aliquem alium, qui in premissis iurisdictionem pretenderet. Et quod etiam ceteri milites dicte talie non possint neque eis liceat simul vel separatim in comitatum vel districtum Aretii supradicti equitare vel cavalcata facere vel guerram inferre de comitatu et districtu Sen(arum) sine expresso consensu et voluntate comunis Senarum, adicientes^a etiam et paciscentes, quod milites dicte lige, talie et sotietatis non possint nec eis liceat ullo modo de comitatu et districtu Senarum equitare seu aliquam cavalcata vel guerram facere in comitatu vel contra comitatum Pisarum. Liceat tamen militibus contribuendis in dicta liga per comune Senarum una cum aliis militibus dicte lige et talie, dum forent extra comitatum Sen(arum), equitare et guerram facere in dicto comitatu Pisarum et etiam dicto comuni Pisarum et contra ipsum, et ad predicta duntaxat modo et forma predicta faciendum teneantur et cogi possint per capitaneum dicte talie et per comunia supradicta.

Quia sic, ut supra scriptum est, dicti syndici iam dictis nominibus ad invicem convenerunt et per pactum hinc inde stipulatione vallatum pacti sunt et promiserunt sibi ad invicem syndici supradicti et quilibet de ipsis sindicis se aliis sindicis dictis nominibus recipientibus obligando et iuraverunt corporaliter ad sancta Dei euangelia, tactis scripturis et euangeliiis sacris, in manibus dicti reverendi viri domini Americi in ecclesia catredali^b civitatis Sen(arum), que sub vocabulo beate Marie virginis nuncupatur, in animabus et super animabus comunium et singulorum hominum, quorum sunt syndici, predictam ligam, fraternitatem, compositionem, unionem et confederationem, taliam et predictas promissiones, conventiones et pacta et omnia et singula suprascripta et infrascripta firma et rata habere et tenere, observare et adimplere et non contra facere vel venire per se vel alium seu alios directe vel indirecte, tacite vel expresse, aliqua ratione vel causa, de iure vel de facto, sub pena decem milium marcarum argenti, solempni stipulatione hinc inde vicissim in singulis et pro singulis capitulis huius contractus promissa, danda et solvenda a comuni-

a) 'addicientes' Or. b) So Or.